



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

C. 40. de prudentia filiorum sæculi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

## CAPVT XL.

*De secundo medio meditationem, atque affectus  
ejus ampliandi, sive de Prudentia filiorum se-  
culi imitanda in electione virtutis, & ut sibi  
quisque suadeat, quod amicissimo suaderet.*

**C**OMPOSITIO LOCI, ut in imagine. Ora Dominum,  
ut tibi possis eligere, & suadere quod alteri.

**PUNCTVM I.** Considera, quàm prudentes sint filij  
hujus sæculi in curandis negotiis suis, opibus, voluptate  
aut honore quarendis; quàm seduli nocte, dieque, ut  
consilia bona indagent; quàm prompti & indefessi, ut  
ea perficiant quæ sibi utilia fore perspexerint: neque  
pericula maris aut latronum deterrent, nec labor con-  
tinuus, neque eventus infelices aliorum. Confer cum  
ea quam filii lucis in salute suâ adhibent diligentia, &  
confundere; deinde statue in re tanti pöderis, id est tuâ  
salute, prudentissimos atque sapientissimos in consi-  
lium advocare, neque permitte ut Deus queri de te  
possit seruo suo, dicens, Quis cæcus nisi servus meus,  
aut quis surdus nisi ad quem nuntios misi? Et cum ne-  
mo scire queat quid sit in homine, nisi spiritus homi-  
nis, qui est in homine; in primis in consultando de vir-  
tute vel profectu, rationem ab omni affectu alienam  
adhibere convenit, & scire tum commodè id fieri, cum  
rem negotiumque nostrum, velut alienum, ob oculos  
ponimus atque appendimus, velut Davidi Regi ele-  
ganter Propheta Nathan peccati commissi enormita-  
tem exposuit, & mulier illa Thecuitis eidem, ut Ab-  
lalomem in pristinam gratiam reciperet, persuasit. Vide  
ergo conversationem, vitam tuam, vel partem aliquam  
illius; vel defectum aliquem, quem emendare studes.  
non tuo, ut in loquar, sed alieno oculo, dispice an ve-  
rè hoc vel illud in alio probares, quomodo in hoc, vel  
illo

*Prudentia  
sæculi imi-  
tanda.*

*Isaia 42.*

*1. Cor. 2.*

*1. Reg. 12.*

*1. Reg. 14.*

illo illi suaderes, an esse ad horã pauperem, & æternũ divitem, vel ad horam humilem, & æternũ gloriosum, ad horam inò momentum lugere & pati, & æternum lætari & triumphare, an contrã probares; quamque illi viam monstrares, tu ipse eam capeffe, tutiorem nempe & commodiorem ad virtutem & ad salutem. Adverte verò quanta meritò, & quàm acerba hæc exprobratio futura sit in iudicio, si quando is qui aliis viam ostendit, facem doctrinã prætulit, in devia & tenebras sponte ivisse arguetur. Appende illud, Servus *Luca 12.* enim qui scit voluntatem Domini sui, plagis vapulabit *Iacob 4.* multis, & scienti legem & non facienti, peccatum est illi. *Aspira, ut sup. pag. 8. Hæcine firma fide, &c.*

PVNCTVM II. Considera à bonis consiliis capeffendis nihil magis nos avocare, nihil magis profectum retardare consuetudine aliquã inveteratã: quot enim cohortationibus & commonitionibus opus, ut quis pravum aliquem habitum exuat; Ossa hominis, inquit *Iob 20.* Job, implentur vitis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Adolescens juxta viam suam, etiam *Prov. 22.* cum senuerit, non recedet ab eã; Sapientis dictum est, *Consuetudo mala grave impedimentum.* adeoque verum, ut hoc ipsum exprimere volens Jeremias, dixerit, Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum. Siquidem quasi altera natura consuetudo est, & velut catena, quã homo alligatur, ut *Aug lib. 8.* expressit Augustinus: Ligatus, ait, eram non ferro alieno, sed meã ferreã voluntate; velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me: quippe de voluntate perversã facta est libido; & dũ *Confess. c. 5.* servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quocirca dum *Consuetudo velut catena.* de virtute sequenda, vitioque fugiendo tecum disceptas, principiis obsta, insta operi, ac vehementer cavendum tibi existima, ne malum, si moram etiam parvam habeat, & inveteretur, & paulatim ab uno illius gradu

*Matth. 26.**Ioan. 11.**August.**Consuetudo  
bona utilissi-  
ma.**Communi-  
catio cum  
Deo valde  
utilis.*

in deteriora labaris; nonne D. Petrus cum primò negasset; secundò, iuramentum addidit; tertio, Christum detestatus est? Quatriduanus Lazarus non nisi lacrymis & clamore suscitari potuit, qui est peccatoris simulacrum, quem peccandi usus sepelivit, ligavit, velavit, fœtentem effecit, & lapide grandi (consuetudine nimirum) conclusit. Hoc igitur vel solum calcar sufficere poterit ad profectum si bene appendatur, timor nimirum pravæ consuetudinis; quæ ubi inoleverit, hominem gravissimo salutis æternæ periculo (potissimum in morte) exponit. Unde agebat S. Augustinus: Quæ tenuissima licia putabantur, in fynes nauticos excrescunt, & si non abrumpatur id ipsum exiguum & tenue, revalescit iterum, & fortiùs alligat. Neque minùs juvabit attendere, ad salutem è contrario nobis auxilia magna præstare bonam consuetudinem; itaque pervictis difficultatibus stude eam acquirere, & habebis in virtute constantiam, & verè magnum solatium. Nam priusquam eam quis fuerit consecutus, laborum affatim exhauriendum, uti assolent semper discentes, & numquam ad scientiam pervenientes; eâ verò obtentâ, lata fit via mandatorum, & suavis etiam in ætate senili. O quantum solatium, habitu acquisito, laborem nec sentire virtutis, nec Religiosæ vitæ molestiam, sed veluti partis opibus securè frui! *Hæcine vera*, ut sup. pag. 7.

PUNCTVM III. Considera omnia quæ in mundo sunt, à liberali Dei manu creata esse, tum ad usum, tum etiam ad disciplinam ac institutionem nostram. Idcirco vix quidquam ad spiritualem vitam accommodatius esse S. P. Ignatius agebat communicatione cum Deo, quæ est virtus seu pius habitus ex creatis eruendi, quæ ad spiritualem utilitatem valere possunt; & ad cælestia mentem atque affectum elevare, memoriam piis cogitationibus & similitudinibus fœcundare, & voluntatem iis veluti faculis accendere. Et vide quomodo hæcenus iis usus, an ut sapiens Dei filius. Ex creatis scientiam

scientiam Creatoris & aurum amoris ejus colligas, an  
 verò potiùs venenum, & agas sicut equus & mulus qui- *Psal. 37.*  
 bus non est intellectus. Per ejusmodi considerationem  
 vide ut similia varia sese offerant, quibus per visibilia ad  
 aliquod invisibile ascēdas. ut cūm ex pulcritudine eo-  
 rum quæ videntur, quasi ex vestigio divinam contem-  
 plamur: vel per invisibilia creata, utpote animam no-  
 stram, invisibilem Deum: vel denique per visibilia, ad  
 alia visibilia speculanda assurgimus; quemadmodum  
 in parabolis & apologis Sapiētia divina præmonstra-  
 vit. Felices, ait Richardus, quibus vertitur in scalam, *Richard.*  
 quod aliis solet in ruina: felices, quibus exteriorum *tract. 3. de*  
 scientia fit schola ascensionis, non ruina dejectionis: *Extern.*  
 felices, quibus scientia illa quæ inflat, non est ad infla- *mali.*  
 tionem, sed ad inflammationem ejus qui ædificat: feli-  
 ces, quibus temporalium pulcritudo, fit æternitatis in-  
 stigatio. Vis ad virtutem te excitare, meditationumque  
 ac cogitationum amplam habere segetē? aspice hunc *Aspectus*  
 orbem spectabilem, ejusque pulcritudinem & varieta- *mundi exci-*  
 tem admirare; & considera quomodo sese habeant *tat. ad vir-*  
 creaturæ erga conditorem suum. Primò, sicut speculum *tutem*  
 divinorum, ut Trismegistus dicere solebat, & liber di- *Trismegist.*  
 vinitate plenus. loquuntur in auribus nostris potentiã,  
 sapientiam & bonitatem ejus, eamque dilaudant. Se-  
 cundò, quomodo ei omnes obediant. Tertiò, quomo-  
 do serviant tibi omnes, teque instruant, si rectè attēdere  
 volueris unde Sapiens ait, Vade ad formicam, ô piger.  
 & Sapiētia ipsa: Estote prudentes sicut serpentes, & *Prov. 6.*  
 simplices sicut columbæ. Quartò, quomodo omnes *Matth. 10.*  
 conentur se servare, & pleræque pro conditione suã  
 crescere & perfici, ut & nos doceamur progredi in viã  
 Dei, & crescere de die in diem, & parta conservare.

Exem-

## Exercitium brevius de Morte.

Esaia 42.

**C**REDO tibi, Domine mi, ô Sapiaientia aeterna, & in te spero, & diligo te corde meo. O JESV, dixisti olim. Quis cœcus nisi servus meus, & quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misit? Verum, ô bonitas infinita, eruntne prudentiores filij saculi in generatione sua filiis tuis? ut eligant illi potiora, & nos deteriora, illi honores quoad possunt longos, & opes magnas, & gaudium præ dolore, & pacem præ bello; ego verò in illa N. re bellum tecum, & paupertatem, & dolorem, & ignominiam aeternam? Absit à me, absit à te, qui sanguine tuo & lacrymis scripsisti legem tuam & sapientiam in cordibus nostris, & humilitate tuâ, & tormentis tuis vana esse bona mundi hujus clamas, quibus abstrahimur, & illicimur, & aeterna perdimus, & te omne bonum. O utinam precium virtutis discerem ex te, & vitam tuâ omni N. ex Angelis, ex hostibus meis, imò & ethnicis; da obsecro, ut illam propter te & occasiones omnes N. sequar. sic mihi ut alteri suadeam. consulam; uti alium aliquem ita me ipsum horter, vrgeam, ut sapiam, & intelligam, & novissima provideam, & te diligam. Amen.

## Exercitium longius.

Lucæ 1.

Prudentia  
læculi.

**H**EV mihi! quàm densis tenebris involvimur; ô lux aeterna, veritas amabilis, Christe JESV, sapientia Patris, magni consilii Angele, veni, obsecro, & illuminare his qui in tenebris, & umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam veritatis & pacis. Pedes mei sunt amor meus, illo feror quocumque feror. Quid verò amo? in illo & illo N. eheu damna mea, & morbos anima & mortem. ab his sibi ut caverent, ipse alios monerem, fateor; ego verò cœcus & infelix homo amplectar? & te omne bonum, Deus, vocantem ad suavissimos patris amplexus, id est, perfectionem fugiam? video alienos defectus, damna, & mea ignoro aut negligo, in alienis lyncei, in nostris eheu cœci sumus. O quàmto prudentiores filii hujus saculi filiis lucis in generatione sua sunt! Suademus, ecce, amicis N. hæc & illa ut meliora, viam ad aeternitatem esse irremediabilem, incertum mortis diem,

diem, horam, momentum, vivendum esse quasi hac horâ mori-  
turi; hac alteri & ego ingeminarem, etenim fastidiosi sumus ad  
alienos defectus, prompti ad eos arguendos: nobis verò blandimur  
quærentes excusationes in peccatis. Nōne meritò dicere posses:  
Medice, cura te ipsum, cum aliis sana consilia demus, & ipsi de-  
teriora sequamur? Lucæ 4.

O quàm durum iudicium servo illi, qui scit voluntatem do-  
mini sui, & non facit! certe plagis vapulabit multis. Quid enim?  
scio mortem in ollâ istâ; sive creaturâ N. & non exclamo? scio Lucæ 12.  
vitam in cruce tuâ, & calice tuo, & piget in eo gloriari? video Mors in  
creaturâ  
latet.  
te in humilitate, paupertate præeuntem, & sequi servus domi-  
num dedignabor? Quid faciam tibi ô custos hominum? Ne in-  
tres, ô Domine, in hoc iudicium cum servo tuo, sed fac mihi se-  
cundum verbum tuum in bonum, ut quod aliis ipse suaderem in  
vita statu, in virtutum delectu, vanitatis contemptu, & defe-  
ctuum extirpatione, ipse sequar, ne audire cogar illud: Tu qui Rom. 2.  
alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas hoc illudve N. alte-  
ri, te ipsum negligis. Et qui tibi nequam servus, cui bonus esse pote-  
ris?

Qui te spernit omne bonum, quid amare potest, nisi omne ma- Eccl. 14.  
lum, & universitatem iniquitatis? Et fieri hoc potest, ut susci-  Applicatio  
ad Cōmu-  
nionem.  
piam illam in animam meam, & te, quem expectans expecto,  
amantissimum sponsum illius, excludam? ut non sit tibi locus in  
eâ, nisi in spinis & urticis vanitatis & pravitatis? Sed quis potest  
facere mundum de immundo semine: nōne tu, qui solus es? Da  
igitur, ô Sapientia æterna, ut ita dirigam vias meas, ut alteri  
præmonstrarem; ita desistam à malo, ut alteri suaderem; ita  
meliora eligam, ut amicissimo auctor essem, ut qui te Regem re-  
gum hodie suscepturus sum, quem amo, & quero toto corde. Et  
quid, queso, me tenet videntem meliora, & probantem? eheu!  
Domina mi, liberator meus de inimicis meis iracundis, sola est Betrn. ferm.  
de 7. verbis  
Domini.  
consuetudo gravis quadam & perniciofa catena, soluenda utique  
facilius quàm rumpenda, nisi per te Domine virtutum. Exsur- Consuetu-  
do dura.  
gam, exsurgam, & gratiâ tuâ sequar te, Domine, non nectam  
moras ne invalescat consuetudo, & veniat nox, & videre te ne-  
queam, ô lux mea, & fugias à me æternim, & derelinquas me.

Absit

Propositi-  
tum pium.

*Absit, absit, absit, ð bonitas, ð amor, absit hoc à te, absit à me in aeternum. Non tardabo venire ad te, virtutemq; N. tam necessariam ut tibi placeam, querere. Amo enim te ex toto corde meo, ð lumen oculorum meorum, unicum refugium meum. Solve colligationes impietatis, solve vincula, quæ me libertate per sanguinem tuum donatum retardant: Da mihi pennas sicut columba ut volem, & requiescam: sustolle me super altitudinem terra, ut frustra jaciatur rete ante oculos meos: ut liceat mihi videre opera manuum tuarum, & discere, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ubi longiturnitas vite & victus, ubi sit lumen oculorum & pax. Vbi verò est requies nisi in te? ubi lumen oculorum, nisi in te lux vera? ubi longiturnitas vite, nisi in te vita mea, quem amo supra omnem vitam? Quatuor sunt etiam minima terra, & ipsa sapientiora sunt sapientibus; fornicula populus infirmus, quæ præparant in messe cibum sibi; lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petrâ cubile suum; Regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas suas; stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regum. Ad hæc me mittis & ad fornicam, ut queram te dum inveniri potes, & cibum qui non perit: & esse jubes prudentem sicut serpentes, & simplicem sicut columba. Benedictus sis in aeternum. Ecce messis nostra jam est & jubes, ut operer cibum in vitam aeternam; id est, te queram qui permanes in seculum seculi.*

Baruch. 3.

Prover. 30.

Matth. 10.

Psal 99.

*Et ubi erit, ð anima mea, cubile tuum? nõnne in foraminibus petræ? Petra autem mea es tu, Christe JESV, & refugium meum tu unus es. Utinam ita bibam hodie de spiritali petrâ, ut non sitiam creaturæ solatium in aeternum! utinam missus ad fornicam piger, & ad columbam, ut discam simplicitatem, & serpentes, ut discam prudentiam, te ubique mihi præsentem, & in omnibus audiam creatis, quia tu per ea loqueris mihi, sed eheu! sæpè surdo & muto, & tamen loqueris, surdo loqueris. Sonet, obsecro, vox tua in auribus meis, ita ut audiam, & omnis creatura hortantis ut amem te, & omnis spiritus laudet te, Domine, & omnia opera tua assidue dicant: Ipse fecit nos, & conservat nos, ut serviamus tibi, ut tu vermis servias Deo nostro. Clamat ad me omnis creatura: Quis magnus sicut Deus noster: clamor eorum, species*



species eorum. Et cur clamant, ut veniam ad te, audiam te, ut  
serviam tibi, & ego quem emisti precio magno, non te glorificabo  
& portabo te, Domine, in corpore meo, in animâ meâ, ut verâ  
virtute tibi uni placeam, tibi qui unus es Deus meus, Deus cordis  
mei & omnia? Tu conditor meus, & finis, & Pater, & Dominus  
meus, & caro tua verè est cibus meus, & sanguis tuus est verè  
potus meus, ut vivam & tibi vivam, quod desidero totis viribus  
meis.

*Praxis de Prudentiâ sæculi.*

PRIMA, Observa obambulans per plateas & campos indu- *Communi-*  
striam hominum, quam quisque in suis exercet, & ex ea spi- *catio cum*  
ritualem aliquem fructum collige. *Deo.*

Secunda. Ex creaturis omnibus assuece idem facere, & desti-  
natò modò de hac, modò aliâ creaturâ philosophare.

Tertia. Pii sermonis ansam sic cape, & per viam disquire ad *Pii sermonis*  
tempus jucundè transigendum, quæ ex hoc vel illo elici spiri- *instituentis*  
tualia possint, & multa, eaque magno cum oblectamento sese *ratio.*  
offerre videbis.

Quarta. Applicari etiam possunt nominatim conditiones ea-  
rum creaturarum, quibus aut Christus, aut Beata Virgo adum-  
brantur in Scripturâ, ut navis, arboris, solis, luminis.

Quinta. Diligenter exquire, quas habeas, etiam naturales *Consuetudi-*  
pravas consuetudines, easque contrariis vincere stude. Nullam *nis bona*  
ego majorem existimo prudentiam, cum, ut dixi sæpè, optima *utilitas.*  
consuetudo usû ac tempore non minùs facilè quàm pessima  
contrahatur.

Sexta. Quemadmodum avari ex re qualibet lucrum facere  
conantur, ita etiam tu, asceta, consuece: & seu bona, seu mala  
eveniant, in omnibus vide ne de statu animus deiiciatur, ac  
divinæ voluntati tuam conforma.

Septima. Ut sæculi filii potentioribus ambitiosè adhaere-  
scunt, ita tu virtutis alumnus, amicos & studiosos illius obser-  
va, & quoad potes cum iis fac habeas consuetudinem.

Octava. Considera quæ passiones in te maximè vigeant, iis *Nota & u.*  
que ad profectum spiritualem utere: verbi gratiâ, superbus es? *tere passio-*  
utere superbiâ, & ad verè alta ac sublimia animum attolle, ter- *nibus ad*  
rena despice, humana judicicia præ divinis contemne. Neque pa- *profectum.*  
tialis ut insipientiæ illius meritò arguaris, quâ mundi amato-  
res momentanea æternis, vana veris, creaturam creatori &  
summo bono anteferunt. *Dignatus es, ut sup. pag. 10.*

JACV-

## IACVLATORIE.

Luc. 16.

Rom. 8.

Isaïæ 42.

Psal. 118.

Psal. 17.

Psal. 24.

Psal. 138.

**P**rudentiores sunt filii huius sæculi filii lucis, in generatione sua.  
Prudentia carnis mors est.

Quis cæcus nisi seruus meus?

Averte, Domine oculos meos, ne videant vanitatem: in viâ tuâ vivifica me.

Quoniam tu illuminas lucernam meam; Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

Dirige me in veritate tua, doce me, quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui totâ die.

Proba me, Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas.

DECIMÆNONÆ IMAGINIS  
ANNOTATIO.

Considera quomodo virtutem N. in morte coluisse optabis: vitaque & occasione utere.

**V**ide an non virtutem, præ vitio secutum te fuisse in A morte optares. Sola enim tibi B virtus aderit ac solatio erit, cum C peccatum ac vermis ejus torquet, D mors terreat, E demon paratus adstabit ad rapiendam animam tuam: cum etiam F intimi amicorum, opes & caro ac sanguis deserent: cum G occasio abierit, omnisq; mundana H voluptas ludiq; perierint. De facultatibus tuis unica tibi I sindon supererit, affines K amiciq; funebrem quidem pompam prosequentur; sed, eheu! deserent, terraq; simul & oblivioni tradent: quorum etsi societatem L appeteres, nihil tamen obtineres. Contra M justus, à virtute & Angelis recreatus, mortem in vitam, dolorem in gaudium commutabit. O quam tranquillo animo justus, quam perturbato peccator ad N. Dei iudicium accedet!

CA-